



70

1.
2.
3.
4.
5.
6
7.
8.
9.
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

anp. 22

DISPUTATIO PHILO. THEOSOPHICA,

De

ORTU
ANIMÆ HU-
MANÆ,

QUAM

Divinâ gratiâ adspirante,

Amplissima Facultate Philosophica suffragante

PRÆSIDE

Viro Maximè Reverendo, Amplissimo

atque Excellentissimo

DNO. KILLIANO
RUDRAUFFIO,

Philos. & SS. Theol. Doctore, ejusdemq; Prof. Publico
Ordinario celeberrimo, Pædagogiatça gravissimo,

*Dno. Patrono, Præceptore & Fautore omni observantiæ
cultu prosequendo, colendo,*

Pro summis in Philosophia HONORIBUS
ritè impetrandis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni & examini submittit

JOH. PHIL. NASEMANNUS, Kirchheynâ Hass.
AUTH. & RESP.

Ad Diem 31. Octobr. Anno M. DC. LXXVI.

GISSÆ, Literis FRIDERICI KARGERI, Academ. Typogr. Ord.

23

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo atque Consultissimo,

DN. PHILIP. HOMBERGERO,

Jcto celeberrimo, atque Sereniss. Ducis Vinariensis Consiliario gravissimo.

V I R O

Nobilissimo & Spectatissimo

DN. JOHANNI JACOBO Krug/

apud Kirchheynefes Prætori meritissimo.

UT ET

V I R I S

Spectatissimis, Prudentissimis atque Integerrimis,

DN. CONSULI, SENATORI-

BUS, reliquisque Civitatis Kirchhaynæ SENATORII ORDINIS VIRIS, &c.

*Dnis. Mecenatibus, Patronis ac Promotoribus
suis nunquam non de venerandis,
colendis,*

**Disputationem hanc in signum grati animi
ac sui suorumque studiorum ulteriorem
commendationem**

dedicat & offert

JOH. PHIL. NASEMANN,

Auth. & Resp.



PRO O E M I U M

à difficultate & distributione materiæ.

Difficilima omnium agitur controver-
 sia, inter Theologos & Scholasticos, inter
 Philosophos & Medicos, & deniq; apud
 omnes eruditos, unde sit & quomodo ho-
 die anima nostra ad corpus suum migret
 & deveniat? quâ gaudeat origine &
 quodque habeat principium, dum sine
 principio esse nequit? Hac sollicitos fecit Patres, dissentientes
 Scholasticos, Philosophos dubios, & incertos viros gravissi-
 mos, adeo, ut quidam desperent, an hac in vita certa ejus origo
 investigari & quicquam certi de ortu ejus definiri possit? An-
 selmus circa M. C. vivens multum enucleanda difficultati
 impendisse dicitur temporis & confusus, se & orando & inve-
 stigando modum impetraturum esse, quo anima corpus suum
 ingrediatur, sicut convictor & familiaris ejus Ednerus in vi-
 ta ejus trad: t apud Surium, quod moriturus dixerit; Si Deus
 mallet me adhuc inter vos saltem tam diu manere, donec
 quæstionem, quam de animæ origine mente revolvo, ab-
 solvere possem, gratus acciperem. Eò quod nescio u-
 trum aliquis eam me defuncto sit absoluturus. Ast disces-
 sit re infecta, & de spiritu differens, Spiritum amisit. Inter
 veteres non solum desperarunt, & quæstionem insolubilem ha-
 buerunt, ut Gregorius Magnus ducentis ferè post Augusti-
 num annis Epist. 53. ad Secundinum testetur, inter Patres de

A

ortu

ortu anime, non parvam equidem requisitionem versatam
 fuisse, sed insolutam mansisse & questionem insolubilem, esse
 questionem, qua ab homine comprehendi non valeat. Vid.
 Excell. Dn. Præles, Præceptor meus maximè venerandus, in
 Phil. Theol. disp. 16. Inter Recentiores Keckerm. ingenuè
 sentit, eam in hac vita definiri non posse, lib. 4. Syst. Phys. c. 1.
 Quia tamen nostra interest & religionis, certam eamq; puram
 de ortu anime tenere & profiteri sententiam, qua in contro-
 versis Theologicis, Iuridicis, & Medicis, & Philosophicis tu-
 tius decidendis expediat, hac vice in rei veritatem inquire-
 mus, sine omni partium studio, affectuumvè imperio, ita, ut s; de
 speciali modo, nulla dari aut haberi possit evidentia, con-
 stare tamen debeat (1) de re ipsa firmiter amplectenda, de que
 contrariis opinionibus deserendis. (2) de modi hujus vel illius
 majori probabilitate aut certitudine morali. (3) de historia
 hujus certaminis. Agemus autem id 5. vel 6. seqq. capp.
 (1) Formabimus statum controversiæ, addenturq; opiniones
 varia. (2) præmittemus certas huic causæ rectius cognoscenda
 inservientes hypotheses. (3) Instituemus selectionem inter o-
 piniones varias firmamque amplectemur. (4) Electa senten-
 tia recitabimus fundamenta, eamque ab exceptionibus libera-
 bimus. (5) Responsiones & argumenta contraria resolvemus.
 Et tandem (6) Epilogum addemus & concludemus.

CAP. I,

Status controversiæ & opiniones varia.

Th. 1.

Non dicam nunc, quid anima sit & in specie humana vel
 rationalis? quia non de quidditate & essentia ejus
 quæritur, sed de ortu ejus vel origine, qua hic promi-
 scuo usu usurpata volumus, non ignari ab aliis aliàs ea
 distingui. Neque (2) in præsentiarum quæremus de causa prima
 & uni-

& universali, quæ non est, nisi *solus DEVS*, è quo sit anima! Sed de causa particulari & secunda vel proxima est quæstio. Nec (3) tam de efficiente vel termino à quo cura est, quàm præprimis de causa quasi materiali, ut ita dicam, vel termino, ex quo particula EX latè sumta, quatenus convenit & *efficienti & materiae*, materiae propriè dictæ & impropriè, rei materiali & immateriali, præexistenti & non præexistenti, imò planè nihilo, prout idem potest esse causa efficiens & terminus ex quo & aliàs particula EX efficiendi & materiae conveniat, sicut candela unde altera accenditur, causa efficiens & simul ille terminus *ex quo* altera accenditur. De principio ergò animæ humanæ, prout hodiè illa corpus ingreditur, quæstio est proprio, vero & particulari, vel proximo & adæquato, quod rationem habet termini *à quo & ex quo*, vel unde hodiè cujusque filii anima immediatè & naturaliter proveniat & propendeat? Dico *immediatè*, quia de primo & nunc remotissimè sese habente termino, creatione scil. animæ Adami aut Evæ nullus ambigit; Dico *naturaliter*, quia quod Deus supernaturaliter & miraculosè agat, extra præsentem volumus poni quæstionis statum. Atque non dicendum solùm est, animam filii esse ab anima parentis, id enim non solvit quæstionem, nec tollit cardinale dubium, sed & dicendum venit, ex anima nasci & generari animam, quemadmodum *Hieronimus* nos erudit de sententia *Tertulliani Apollinaris & Occidentalium* maximæ partis, quod, sicut corpus sit ex corpore, sic autumassent animam nasci ex anima, quæ vid. *ap. sum. Rev. Dn. Calov. Harmon p. 468.*

§. 2. Neque tandem morabitur nos illa dissensio, quâ de sede altercantur nonnulli, sive enim ratione termini sit *Physica*, sive *Metaphysica*, sive *Pneumatica*, sive etiam *Theologica* aut *mixta*, generaliter novimus, dignam hanc esse materiam omnium eruditione, & utramque cathedram tenere, quod agat, nec ita rationis principiis exhauriri, quin supernaturali lumine magis magisque & illustretur & compleatur. Prout ergò thema præsens ipsâ sui cognitione animum poscit, ejusque vim ab omnibus externis accuratam in se ipsam colligit, & ad naturæ suæ suavissimam meditationem utrumque principium inducit gratiæ & naturæ, sicque amicè ut jungamus utraque, quo ex illa amicissima har-

monia exactius de eo constet, quod nobilissimam naturæ nostræ partem absolvit.

§. 3. Propositione ea facta & declaratione, quid tot retrò sententiis fuerit controversum, & etiamnum controvertatur, audiemus varias doctorum declarationes. Quæstio est, *Quodnam sit anima principium vel terminus à velex quo?* Quid responderunt viri sancti, docti? Philosophi aut Theologi? perplexum fatis & intricatum non minus deprehenditur, cujusque vel sententiæ vel authoris describere mentem & copiosum nimis foret, singula adducere nomina. Proinde audiemus potiora eaque doctrinæ gratia in certas distribuemus classes. (1) sunt *Educiani*, qui educationem statuunt. (2) *Creatiani*, qui creationem defendunt. (3) *Infusiani*, qui infusionis voce utuntur, & Creatianis valdè affines & plerumque re ipsa iidem. (4) sunt *Emanatiani*, (5) sunt *Traduciani*. (6) *Epechiani*, ut ita dicamus, quibus ob inexhaustas difficultates placet *ἐπιχέειν*, maluntque iudicium suspendere, quàm determinatè accedere sententiæ.

§. 4. *Educiani* existimantes, animam educi à potentia, variis modis sese explicant, diversisque nituntur principiis, alii n. intelligunt potentiam *materia naturalem*, alii *potentiam obedientialem*, alii supponunt animam esse *materialem*, alii *imaterialem*, alii *substantialem*, alii *accidens*. Sic *Epicureis* tribuitur, quod pro immutabili principio habuerint, animam esse materialem & corruptibilem, indeque posthac non esse superstitem: Ita & de *Sadduceis* commemoratur, quod Epicuri secuti sint sententiam, sublatâ distinctione inter animam hominis immortalem & bruti mortalem, cum utraq; quoad originem vitæ & morum paris & æqualis sint conditionis, neque alia differentia inter animam hominis & bruti intercedat, quàm quod illa sit rationalis, hæc irrationalis, prout ex *Manasse Ben Israelis lib. 1. de resurr. mort. c. 7. p. 45.* aliisque Scriptoribus illa Sadduceorum describitur opinio & sententia. Educationis voce quidam recentiores leguntur usi in diversa sententia, non ut dependentiam facerent verè materialem, divisibilem & quantam, vel animam dicerent mortalem, & suâ natura corruptibilem. Sicut *Jacobus Martini* in *Becanum* ita dicere videtur p. 500, negatque p. 516. animam nullo modo à corpore dependere,

pendere, nec educi è potentia materiæ, h.e. feminis: Qui tamen omninò immortalem & spiritualem propugnat animam nostram. Etiam *Traduciani* videntur, quandoque uti voce *educendi*, ast non è potentia materiæ vel ex *materia*, sed traducem sumunt formæ ex forma; tradux enim improprie notat educationem formæ ex materia, proprius autem, si *partialiter* sumatur, congenerationem aut propagationem alterutrius partis essentialis, vel materiæ ex materia, vel formæ ex forma, *Thomas. pecul. disp. 10. p. 45.* qui nihil aliud est, quam propagatio secundum modum promotivum sui, ut sequetur infra.

§. 5. *Emanatiani*, qui emanationem defendunt vel loquuntur de emanatione immanente, quæ non mutat subjectum, sicut in corpore animato facultates animæ dicuntur emanare ab ipsa anima, ita, ut extra corpus non migrent, & sic talis emanatio meritò rejicitur: vel loquuntur de emanatione transeunte, quæ facit mutari subjectum & acquiri proprium, ut si forma orta subjecto illius formæ, è qua oritur, relicto, novum petit, ut in generatione fieri dicitur, & tùm talis emanatio vel re ipsa coincidit cum generatione per traducem, vel diversa est; si hoc rejicitur; si illud assumitur res in libero loquendi modo, minus tamen usitato, cum traducis vocab. sit popularius. Vid. *Excell. Thom. c. 1. p. 8. §. 8. §. 10. §. 11. & p. 11. §. 24.*

§. 6. *Creatiani* etiam valdè variant; quidam enim eam creatam volunt ex ipsa essentia divina, sicut *Platonici* tribuitur, & è *Philonis Judæi* lib. quod deterius insidietur potiori f. 112. habetur apertum testimonium, quod vocaverit *animam divina felicitateque anima particulam indivisibilem, itemque cœlestem plantam.* Uti *Gnosticorum, Manicheorum & Priscillianistarum* habetur error, animam sistens ut portionem essentia divinx, unde creata sit vel emanaverit, eoque sensu *Proverb. 20. 27. legi, lucernam Domini spiraculum hominum:* Sic de quibusdam hæreticis Anglicanis refert *Georg. Horn. lib. de statu Eccles. error. 15. p. 86.* Quod hanc *Gnosticorum* doctrinam teneant, credentes homines vixisse, antequàm Deus inspirasset animam, idque quod inspiret, esse partem divinx essentia, & ad Deum reverti, vid. *Thom. cit. loc. p. 18. §. 29.* Quidam (2) ex materia cœlesti creationem ejus deducunt, ut

Rattrai habet expositio, quem ad infusianos quoque referre possumus. Quidam (3) ex anima sensitiva putant creari rationalem, ut *Comenio* ea arridet opinio. Alii (4) præexistentiam animarum tradiderunt, quasi ante hexaemeron vel primo saltem die omnes creatæ simul fuerint rationales animæ, quæ sententia quorundam gentilium fuit & Judæorum, uti *Menasse Ben Israel* l. 2. de creat. probl. 15. p. 61. testatur, hanc communem esse omnium Hebræorum, animas humanas præcessisse corpora, eamque opinionem amplexos fuisse *Hermet. Trismegistum, Pythagoram, Platonem*, & alios gentiles, ad quos ab Hebræis hæc manaverit doctrina, plura ap *Slevogt. disp. 2. de Creat. §. 4. p. 301. Friedl. Flor. Theol. p. 742. Hornbec. lib. 1. IV. pro convinc. Judæis p. 321. Thom. diss. erudita de orig. anim. p. 16. §. 18.*

§. 7. Qui hodiè creationem defendunt, existimant, quotidie animas à Deo immediatè ex nihilo produci, corporibusque suis rectè dispositis & organizatis immitti. Sic è Patribus putarunt duo *Hilarius & Hieronymus*, & è Græcis totidem, utpote *Cyrillus Alexandrinus & Theodoretus*, etsi plures Pp. in hanc sententiam allegari soleant, non tamen nisi quatuor eo verè referri posse ostendunt *Calov. Harm. Calixt. p. 507. & Wildersin. Anti-Wagnereck. p. 222.* Hancque sententiam habent omnes Pontificii, communiter & *Calvin. Weigel. & Socin.* è nostris sunt *Calixtini*, ut ipse *Calixtus*, uterque *Dreierus*, & hac in parte *Calixtinizans Zeisoldus*, cum quibusdam aliis Novatoribus, Pontificiis & *Calvinianis* plerisque.

§. 8. *Infusiani* videntur quasi triplicis ordinis, quidam nihil aliud tradunt quàm *Creatiani*, quod quotidie animæ creentur, & corpori infundantur, sicuti *Lombardus, Magister sententiarum & Scholasticorum* qf. Patriarcha enunciat, 2. dist. 18. esse catholicam hanc sententiam, animas non ex traduce factas, sed in corporibus per coitum seminatæ & formatæ infundi, & infundendo creari. Eodem modo loquitur *Bellarmin. l. IV. de amissione gratiæ & statu pecc. c. IX.* nec tamen ex propagine, sed ex nihilo creari atque infundi, cum in uteris matrum foetus concepti, atque ad animationem præparati sint. Alii autem *infusionem* quandam *materialem* figunt, qua anima ex materia cœlesti deducta vel creata,
in

in instanti generationis à Deo infundatur: Et hi diversi sunt à *Creatianis*. Alii docent, animas ab initio simul esse creatas, & in quodam q̄s. thesauro Dei servari, usque certo tempore, prout Deo visum fuerit, corpori huic vel illi, hæc vel illa sit *immittenda & infundenda*. Hi à *Creatianis* secundum rem quidem non differunt, differunt autem *secundum modum*, dum hodierni *Creatiani* docent, creationem quotidianam adeoque successivam, illi simultaneam.

§. 9. *Traduciani*, animas per traducem propagari dicentes vel propriè sumunt traducem pro propagatione alicujus rei ex alia ejusdem speciei, vel impropriè pro educatione formæ è potentia materiæ. Hi *Traduciani* ad *Educianos* referuntur: Illi verò dum per traducem intelligunt propagationem, qua forma substantialis ex simili forma procedit processione transeunte, explicat eam vel *per decisionem*, modum propagandi decisivum, quo in cohabitatione sexuum ex ipsis parentum animabus decidatur semen animæ, quod in novum foetum cresceret? illique animam corpoream & materiale statuebant, salvâ tamen immortalitate. Quorsum quidam sententiam *Tertulliani*, *Apollinaris*, & aliorum referre conantur. Vel *per sui promotionem*, modum propagandi sui promotivum, quo uterque parens retentâ suâ totâ animâ sese in tertiam virtute divinæ benedictionis multiplicet, prout hodiè plures rectiùs sese explicant, hancque sententiam prolixè defendunt, qui Patrum traduci faveant, sive per decisionem, sive per promotionem, *vid. Calov. Harmon. p. 481. 501. 508. 543. & seqq. Item Tom. 3. Loc. Theol. p. 1110. Wildersin. c. l. p. 187. 214. Thom. p. 21.* Tradux promotivus communiter à nostratibus suscipitur, & è *Calvin.* eum sustinent & docent *Casp. Peucerus*, *Timoth Brigtheus* & *Joh. Combachius*, duo Medici, & unus Philosophus, ut notat *Clariss. Dn. Thomas. p. 48.*

§. 10. *Epochiani* abstinent à decisionis judicio, prout *August.* dubitasse dicitur usque ad mortem, licet in postremis scriptis magis inclinare in traducem, & hinc à *Pelagii* sectatore *Juliano* vocetur *Traducianæ nationis Primas Voss. 2. hist. Pel. part. 2. lib. 2. p. 85. conf. Jans. III. de hæres. Pelag. 3. fol. 134.* Item de *Luthero* tradunt, sed notamus de eo electissimo Dei organo, quod omnes

omnes

omnes partes sub umbra ejus latitare velint. Allegatur enim pro creatione à Zeifold. p. 84. Slevogt. p. 509. Dreier. *gründl. Erörterung*. p. 334. à Wigando l. de neutral. ex disput. Modò pro traduce, apud Colov. T. 3. p. 1099. Et pro ἐποχῆ quod ultro citroque rem expensam in medio relinquere voluerit *Meisner. Phil. Sobr. part. 1. p. 905.* Ast *Chemnitius* testatur *part. 1. Loc. f. 236.* ipsum publicè quidem nihil affirmare voluisse, apud se tamen privatim sententiam de traduce tenuisse, conf. *Dn. Thomas. c. 1.* Alii de eo tradunt, quod etsi vel maximè ab initio ab Infusianis steterit, tandem tamen paulò ante obitum publicè professus fuerit, quam à traduce non abhorreret *Thom. 1. 7en. dissp. an. 1545. habitis,* (proximè ante fatalem) ubi ita loquitur p. 471. th. 31. qui cogitaverunt, animam esse ex traduce videntur non penitus aliena à Scripturis sensisse, conf. *ibidem th. 32. 4. 2.* Et testatur *David Chytraeus part. II. de vita & morte p. 25.* ita dicens: *Lutherum* magis in illorum sententiam, qui ex traduce animas propagari senserunt, inclinasse, in postrema disputatione ab ipso habita anno 1545. ipsemet ego ex ejus ore audivi.

CAP. II.

De præparatione & progressionem ad certiore sententiam ex certis præsuppositis hypothesebus.

Hypothesis generalis I.

Nulla scientia est admittenda, quæ manifestò impingit in Scripturam aut aliquem articulum fidei.

§. 1. **I**N omni Philosophica & Theologica assertione respicienda est fidei puritas, atque id, quod divina nos erudit Sapientia, regulæ loco promineat: *hera loquente, taceat ancilla,* illius imperio & voluntati subjacens. Præprimis autem in hac quaestione dignè ventilanda occurrendum est ad fidei principium. **E**t si verò ponamus, hanc quaestionem esse Philosophicam, ratione
termi-

9
eminorum subiecti sc. formæ essentialis certi corporis natura-
lis & prædicati sc. naturalis originis dicente *Thomasia in disp. p. 5.*
novimus tamen in simul Theologicam dici, ratione divinæ ordi-
nationis, quæ non potest cognosci, sine superiori supernaturali
principio, ex quo solo descendum, quid Deus hic ordinaverit in
propagatione generis humani, *vid. disp. Musei de princip. conclus.*
quapropter interest heræ, ne quam patiatur offensam ex ancillæ
lascivia: Inverest fidei, ne ex spuris hypothesebus impugnetur,
falsisque illationibus obfussetur.

§. 2. Atque sic cavendum hic, ne *vel malè decidendo, vel ma-
lè probando, vel malè inferendo aut consequentiam connectendo pec-
cemus, prout id cavendum tradidit laudatus Dn. Thomas. c. 1.*

§. 3. *Malè decidendo peccatur, si ad salvandam animæ
tum dignitatem, tum spiritualitatem, res ita decidatur, ut origo
animæ ex ipsa Dei essentia petatur & derivetur, quæ decisio inter
hæreticas semper relata est. Vel, ne creatio oppugnetur, omninò
negetur peccatum originale & ab omni noxâ puræ dicantur ani-
mæ, sicut ita creationis hæreticos juvari putat Augustinus lib. 4.
de anima c. XI. unde ab utraque extrema sententia libi metuens,
dixit: Quicquid de anima differitur, si negat pecc. orig. falsum est:
lib. 1. ad Bonif. & rursus Epist. 28. ad Hieronymum. Illa de anima-
rum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam de
peccat. orig. non oppugnat, sit & mea, si oppugnat, non sit & tua. Sic
ergò malè decidendo peccatur.*

§. 4. *Malè probando, quando animæ creatio hodierna
probatur ex creatione primæva, quod sicut hominis anima prima,
ita omnes nostræ sint creatæ, vel etiam quando ad salvandam &
conciliandam creationis sententiam pro principio assumitur, pec-
catum orig. non esse quid positivum, sed meram & puram priva-
tionem. Sicut Dreierus in deductione sua eo consilio præmisit
articulum de pecc. orig. ut si constaret peccatum Orig. esse nudam
carentiam, eò rectius addisci & cognosci posset, pecc. orig. non
obesse creationi animæ, sed favere. Wann man recht verste-
het/was die Erb. Sünde ist / wird man sich auch besser
zu schicken wissen in die Frage/wie die Seel fortgepflan-
get werde.*

B

§. 5.

§. 5. *Malè inferendo & concludendo*, si, quia anima propagari dicatur, asseratur corporea vel mortalis, sicut Creatiani sibi à propagatione metuunt animæ mortalitatem, existimantes, non posse generationem animæ statui, nisi negetur immortalitas, ut dicit *Dreijerus p. 294. Erörterung. & Estii metus habet 2. sentent. disp. 17. §. 45.*

§. 6. Absint illa monstra, absint in hac palæstra dictæ istæ culpæ illisiones, eaque à Philosophis adducatur explicatio, quæ non modo non lædat veritatem cœlestem, sed & illi explanandæ expediat & inserviat.

Hypothesis generalis II.

In ordinariis naturæ operibus non est confugiendum ad miraculum.

§. 1. Ubi operatio est naturalis, naturale quoque supponitur principium, naturalis agendi modus. Miraculis non est opus nisi natura deficiat, interveniatque extrema necessitas, sed hominem nasci & constitui ex corpore & anima, est opus naturæ, fit quotidie & naturali modo, E. ad extraordinarium supernaturalem & miraculosum modum non est excurrendum; non nascitur homo ex miraculo. Miraculum intellige non naturæ, sed Dei immediate agentis.

§. 2. Hinc facessunt (1) *Creatiani & Infusiani* proprie dicti, cum infusio animæ immediate à Deo, vel creatio immediata ex nihilo, supernaturalis sit operatio.

§. 3. Faceffat (2) *Rattraji* opinio & explicatio, qui animam rationalem ex materia cœlesti creari dicit, & in instanti generationis à Deo Patre luminum infundi. Esset & hæc miraculosa actio atque prorsus extraordinaria, parum aut nihil distans ab ipsa creatione prima & infusione.

§. 4. Neque (3) eatenus convenit *Jacobi Martini* sententia, quatenus illa ad potentiam obedientialem excurret, quæ nostrâ sententiâ semper requirit actum & concursum Dei specialem extraordinarium, miraculosum & supernaturalem, si enim
illius

Illius sententiã anima per specialem Dei concursum deducitur è femore parentum, tanquam è potentia obedientiali, hicque non minus requiritur concursus extraordinarius, quàm in creatione secunda ex subiecto inhabili & indispositionis, nobis talis actio est creativa & miraculosa.

§. 5. Tandem (4) ex eadem hypothese cadit explicatio & sententia Comenii, aliorumque asserentium, animam rationalem divinitus creari ex anima sensitiva, cum pari ratione & illa creatio supernaturalis esset & miraculosa, contra convenientiam & dispositionem naturalis operationis.

Hypothesis generalis III.

*Ita origo animæ est asserenda, ne ipsius periclitetur
spiritualitas.*

Anima nostra spiritus est, non corpus, immortalis & incorporea, non mortalis aut corporea, quod regulæ instar & pro firmissima nobis tenendum est hypothese. Unde illa sententia eatenus vera est, quæ animam ita corpori adducit, ut nihilominus immunis maneat ab omni materiæ commercio, in fieri esse & operari, talis enim est forma vel anima immortalis, quæ autem animæ naturam destruit, aut ortum ei inducit materialem, falsa est & rejicienda. Quapropter insulsa est & impia sententia, animam ita educens è potentia materiæ, ut animam bovis, è semine materiali, quod Traducianis hodiè nec in mentem venit, nec imponendum est, ortum materialem non minus negant, quàm Creatiani, cum hisce firmiter & indubiè credentes animæ nostræ & spiritualitatem & immortalitatem.

Hypothesis generalis IV.

*Sic homo hominem generat, ne quid generationi
univocæ decedat.*

§. 1. Illa sententia est vera, quæ ita de hominis generatione differit, ut eadem conservetur generatio univoca. Nam o-

omnes formæ substantiales animalium oriuntur per generationem non æquivocam, sed univocam, quia simile ibi generatur ex simili (dico autem, generatur vel generaliter, laxè & fusè, quia quod congeneratur, etiam generatur, sicut quod concreatur, creatur, quanquam & congenerare dicamus, & liberum facimus dici vel generari, vel congenerari, si de forma vel parte totius quæstio est.) Et quæ opinio cum hâc generatione non potest comparari, falsa est & evitanda.

§. 2. Sic cadunt ex hâc hypothesei verissimâ, sententiæ varix & falsæ seqq. omnes. *Primo*, Platonis & Gnosticorum ortum animæ ex divina essentia petentium. *Secundo*, Fernelii & aliorum in animæ immortalis asserenda origine ad cœlum vel cœlestes ideas recurrentium, *Tertiò*, Epicuri pro materia animæ humanæ supponentis humorem parentum genitalem. *Quarto*, quorundam dictorum PseudoAristotelicorum, qui per actionem divinam animam rationalem ex anima sensitiva, incorruptibile ex corruptibili deducunt. Cum in omnibus hisce modis tollatur generatio univoca. Quæ enim est inter Deum & animam, infinitum & finitum univocatio? quæ inter materiam cœlestem & animam intellectivam in essendo convenientia? quæ inter hominem materialem & spiritum immaterialem? & quæ tandem inter formam materialem sensitivam, & immaterialem rationalem essentialis & specifica conformitas, qualis in generatione evidenter requiritur.

§. 3. Sic & ipsa cessat *quinto* creatio immediata ex nihilo, quæ nullo modo cum generatione univoca conciliari potest. Qui enim non totum generat effectum sibi similem, non est generans univocum, Pater generans filium quoad corpus, & non quoad animam, cum ex Creatianorum sententia corpus filii sit ex patre, anima autem forinsecus accedat à manu Dei immediatè agentis, non totum effectum, non totum filium producit, E. pater generans filium, non est generans univocum, sed æquivocum. Major est principii evidentis & ubique concessi. Minor est Creatianorum, E. stat contra eosdem conclusio, de quo postmodum plura membr.

3. & 4.

HYPO-

HYPOTHESES SPECIALES.

Pater generando filium, est vera & realis causa efficiens, esse filio per realem influxum conferens.

Omnis generatio, generantem causam habet Physicam, est enim hæc ipsa actio vera & realis Physica, à qua effectus pendet Physicus, generatio hominis est vera generatio, & filius productus à Patre effectus Physicus, Est à causa Physica, quoad corpus & animam. Consequenter Pater conferens filio animam, non confert eam moraliter, volendo, jubendo, &c. sed verè & realiter producendo, hoc enim nisi præstare & perficere posset pater, derogaretur aliquid benedictioni divinæ & naturæ Patris naturalis, ex actione veræ generationis denominari. Consequenter exspirat opinio & explicatio de causalitate Patris morali, quæ non consistit in generatione univoca. Neque obest, Patrem mortuum adhuc esse causam, quod repugnet causæ physicæ, vid. *Posev. res. 544.* Nam causa Physica non potest quidem agere abtens immediate, potest autem agere mediatè, Pater enim unâ cum matre emisit semen; in quo totus homo est potentiâ, illud semen virtute prolifica instructum adhuc à matre fovetur, ut possit ab imperfecto esse, transire ad perfectum.

Hypothesis spec. II.

Pater generando filium, agit virtute longè & multis modis diversa, ab ea quâ brutum generat brutum, eaque majori & superiori.

S. I. Hoc ostenditur (1) ex primæ animæ concessione, atque producentis Dei cura & studio, quando quidem anima hominis non ex corporali substantia educebatur, sed præcedente divina qd. consultatione à Deo immediate ex nihilo vocabatur, & per flatum divinum inspirabatur. In sola enim creatione hominis dictum est, quod Deus inspiraverit in faciem hominis spiraculum

vitæ, & hinc factus sit homo in animam viventem. De quibus verbis *David Chytr. de morte & vita æterna part. 2 p. 153. & 154.* Primi hominis creatio, corpori jam formato, spiraculum vitæ seu substantia animæ, qua viveret homo (à Deo, sed non de Deo facta) inspiratur, qua inspiratione, hæc vis primis parentibus insita fuit, ut deinceps cæteros homines, ad imaginem & similitudinem suam sibi anima & corpore similes propagarent. Quale quid dum non legitur in productione formæ bruti, innuitur non solum major productæ animæ dignitas, sed & ipsa quoque supponitur dignior & perfectior multiplicandi virtus & facultas. Hæc, si quis diligenter perpendet, facile cogitabit, peculiari à brutis modo animam homini esse concessam, puta non è potentia materiæ rudis & indispositæ conflata, sicut apud bestias contingit, sed divini ori halitu excitata. Non tamen exinde colliget, quod Deus adhuc hodiè inspiret vel creet animam hominis, hujus creationis veritas, nec ex scriptura, nec ex ratione probari potest, sed omni prorsus fundamento destituitur, ut adhuc patebit. (2) Ostenditur & animadvertitur ex ipso opere præstantiori, quod quò præstantius & nobilius, eò nobiliorem & præstantiorem requirit causandi rationem. Jam autem *Athanasius* habet: dupliciter dicitur anima, altera est irrationalis, quæ est bestiarum, altera rationalis, quæ est hominum. Itaque ea, quæ est bestiarum, opificium suum ex terra accepit &c. atque eam ob causam ignorant animalia neque curant res cælestes. Sed homo ex inspiratione suam accipit animam, ideò res divinas agnoscit, superna persequitur, & res cælestes intelligit. Aut ut *Lactantius* dicit: una est immortalis, altera mortalis, de mortalibus non nisi mortale. Ex quo colligimus, non esse eundem propagationis modum, non eandem utriusque vel omnis formæ originem, non eundem fiendi modum, omnibus adæquatè respondentem. Consequenter non in illa communi propagatione subsistendum, sed quidam propagandi modus homini proprius & adæquatus, naturæ ejus adaptatus atque congruus quærendus & feligendus est. Cadit hinceductio, caditque vis argumenti, quoad omnimodam paritatem: quem effectum habet benedictio in brutis, eundem habet in homine. Sed in brutis vi benedictionis divinæ anima educitur è potentia materiæ &c. E.

Hypo-

Hypothesis spec. III.

O. Substantia perfecta, quæ non est immediatè ex nihilo, est ex aliquo, quocunque modo fiendi.

§. 1. Per subjectum non intelligo præcisè illud subjectum adæquatum, primum & receptivum formarum materialium & generationis & corruptionis, sed substantiam incompletam, quæ ex naturæ suæ fecunditate à primo creatore indita id habet, ut à composito, cujus est ἐντελέχεια adhibita & applicata ad ἐνέργειαν, positis omnibus ad generandum requisitis, producat animam sibi similem, puta spiritualement, sicut ipsa spiritus est. Et hæc est generatio homini æque ut omni alteri animali naturalis, *vid. Ioh. Conr. Dürrii Epist. de animarum human. ad posteros propagatione.*

§. 2. Quod autem & anima humana fiat ex aliquo quocunque modo fiendi, probatur, (1) ex inductione omnium, quæ fiunt: Si enim omnia ex aliquo & verè anima fieri dicitur, non exceptam habere possumus vel animam in genere, vel animam humanam. Quorsum cedit (2) effatum Physicum: quicquid fit, fit ex aliquo, ex nihilo nihil fit. Et relinquitur (3) ex immediatè oppositis nihil & aliquid; *Ens & non Ens.*

§. 3. Nec sufficit dicere, animam esse ab anima, sed & ex anima. Dicitur autem id de substantia, adeoque res per se suâ propriâ subsistentiâ existente, non dependenter ab alio saltem sustentante & sustinente, profluente, ubi tali productione ex aliquo, non opus est ad generandum & conferendum proprium subsistendi esse, quo carent.

§. 4. E. ista propagandi ratio, qua anima dicitur fieri ab anima, nec tamen vel per decisionem, vel per transfusionem, vel corporalem successionem, verum per distinctæ novæ numero subjecto, loco & tempore diversæ formæ productionem, videtur inexplicabilis, dissona & difformis naturæ, nisi ostendatur aliquid, unde fiat vel fieri possit.

Hypothesis spec. IV.

Omnis forma est multiplicabilis, propagabilis, generabi.

nerabilis, quæ generando potest produci &
multiplicari.

§. 1. Anima humana (1) multiplicatur & multiplicabilis est, ex virtute divina, sicut omnis forma, nec potest fieri multiplicatio hominum, sine multiplicatione partium, prout rectè inquit *Meisn. in Philos. Sob. part. 1 p. 923.* habent spirituales essentia istam naturam, ut si Deo ita visum fuerit, sui sint multiplicativa; ita anima hominis sui est multiplicativa & plantiva p. 924.

§. 2. Ad Object. quod spiritus non sit multiplicabilis: Respondeo, quod distinguendum sit inter Spiritum, qui à corpore omnimodè est liberatus vel eò devinctus, de illo verum est, quod non sit sui multiplicativus, de hoc verò secus, vid. *Stenb. diff. de propagat. anima*, vel uti respondet *Sperl. ex Thom. p. 96. ex p. 34.* Spiritus non multiplicatur immediatè, multiplicatur mediatè. (2) Spiritus completus & à corpore omni ratione & tempore separatus non multiplicatur, aut incompletus & ad corpus informandum ordinatus, multiplicatur. *Duns Calov. resp. p. 1107.* non opus est, ut animæ se multiplicent; quia hominis est multiplicare se non seorsim vel animæ, vel corporis. Quibus stantibus, respondemus nos breviter.

§. 3. Omnis forma est multiplicativa sui, E. & ille Spiritus, qui est forma, quod in anima tanquam Spiritu corpori devincto peculiare est, ut ab aliis spiritibus ad hunc non liceat concludere.

§. 4. Propagatur anima nostra humana, sicut totum genus humanum dicitur propagari ad posteros sc. integra & tota natura humana, quoad corpus & animam, eo ipso dum à parentibus dicitur communicari filiis, & sic ad posteros transmitti inveniunt, & docetur propagari.

§. 5. Generatur, quia Parentes generando filios per generationem fiunt causa Physica totius filii quoad omnes partes adeoque quoad animam. Intelligitur autem generatio latè dicta.

§. 6. Consequenter sententia de propagatione non rejicitur, multò minus ut hæretica damnabilis est, & generaliter ista omninò approbatur, quomodo autem illa propagatio fiat, aliud est, de quo postmodum videbitur. Res salva est, sed modus rei intricatus.

CAP.

CAP. III.

Exhibens *ἐπιχειρησιν* de prioribus sententiis.

CONCLUS. I.

Anima filii non producitur à parentibus per *eductionem* è potentia materiæ, quia talis fiendi modus materialis repugnat naturæ spirituali. Argumentor *primò* : Quicquid educitur è potentia materiæ, illud intrinsecè est materiale, sed anima humana non est materialis, E. *Secundò*, Quicquid educitur è potentia materiæ causativa, illud in ea prius fuit, & ab ipsa in fieri esse & operari dependet, E. Dico *causativa* potentia, quia materiæ potentia datur duplex, una receptiva, quæ est in ordine ad omnes formas recipiendas, vel materiales, vel immateriales, adeò, ut neque animæ nostræ repugnare possit, recipi in materia. Altera *causativa*, quâ materia concurrat in genere causæ materialis ad tribuendum esse formæ, sicut forma bruti verè educitur è potentia materiæ seminis causativa. De hac quæstio est concepta, & talis negatur in ordine ad animam humanam, tanquam formam spirituales.

CONCLUS. II. Non per *emanationem*, & quidem immanentem, ut vocant, quia anima filii non ita prodit ab anima patris, ut in ea maneat: Nec per *emanationem* transeuntem, quia talis emanatio non requirit medium, anima autem filii est ex Patre, mediante semine. Aut si tandem emanatio transiens ita sumatur, ut sit transiens formæ ex forma processio, *ἐκπορεύσις* dicitur anima, & traduci & emanare, subiecto illius formæ mutato, è qua oritur. *conf. cit. Dn. Thomas. p. 8. §. 10. p. 10. §. 24 p. 12. §. 30. 31. 32. 33.*

CONCLUS. III. Non per *creationem* aut *infusionem*, quia (1) ex hypothesi 2. generali in operibus naturæ & actionibus naturalibus non est recurrendum ad miracula & actiones supernaturales. (2) quia contrariatur generationi hominis univocæ. Ad hoc reponunt exemplum Christi, qui dicatur genitus à Maria, etsi non genitus sit à Maria secundum Deitatem, E. possit totum dici genitum, licet non secundum omnes partes. Et sic non contrariari creationem generationi univocæ, *vid. resp. Membr. seq. IV.*

C

quando

quando ab hac actione supernaturali ad nostrum naturalem non licet argumentari. (3) Quia impingit contra articulum fidei de propagatione peccati orig. (4) Quia patrem facit causam filii moralem contra specialem hypothesein. (5) Quia Deus cessavit à creatione immediata, ut hodiè non creet ex nihilo, nisi mediatè ex aliquo, si omnia animata faceret ex nihilo, quotidie crearet immediate, & sic non cessasset. Respondet quidem *Baronius*, Deum cessasse à creatione immediatâ novarum specierum, sed non à creatione novorum individuorum. Ast ficta hæc est distinctio, quoad hoc quæsitum; ab illa enim creatione cessavit, qua immediate ex nihilo fecerit omnia, sive species, sive individua sint, E. eo ipso cadit illa huc accommodata distinctio, vel uti resp. *Kyppingius* in *Instit. phys.* ita cessavit Deus, uti operatus fuerat, atque operatus fuerat species, & unâ individua condendo, E. cessavit deinceps & specierum individua unâ condendo.

CAP. IV.

Confirmatio proposita sententia.

§. 1. **B**aronius equidem *Philosophia Theol. ancill. p. 60 art. 3.* §. 1. dicit, se non meminisse ullum argumentum contrarium (quo sc. propagatio defendatur) legisse tanti ponderis, ut possit aliquem vel mediocriter in hac controversia versatum in eorum sententiam adducere, qui contendunt animas nostras à parentibus per carnalem generationem profeminari, non verò creari & infundi: Videbimus tamen, quæ & qualia sint argumenta nostra.

§. 2. Quoad (1) possemus omnibus aliis rationibus causam & sententiam nostram firmissimam sistere ex variis scripturæ documentis, sed antequam ea adducamus, placet primum Philosophis Christianis hæc proponere.

§. 3. *PRIMò* ex ratione naturali ita argumentamur, secundùm ea, quæ supra cap. 2. hypoth. general. IV. adduximus, Quodcunque generatione verâ & univocâ generat sui simile, id totum quod generat, secundùm totam essentiam producit, adeoq;

ei

omnes partes essentielles, formam & materiam, animam scilicet & corpus, comunicat. Atque homo generatione verâ & univocâ producit sui simile, E. Maj. veritas patet ex ipsis propositionis terminis, causæ scilicet & generationis univocæ descriptione, ubique approbata & recepta: Minorem nemo negabit, nisi qui mentis parum compos aut errore quodam fuerit fascinatus. Siquidem certum est ubique, parentes generando filium, perfectum generare hominem, non unâ solùm parte, vel solo corpore, vel sola animâ, (qui non esset homo,) sed & animâ hominis & corpore hominis verè constantem, adeoque secundùm omnes partes parentibus assimilatum. Ubi autem tale est generans, cui generatum secundùm totam essentiam à generante collatam assimilatur, ibi non potest non esse univocum. Contrâ, si homo generaret hominem, quoad corpus solùm, ut anima non esset à parente, sed à DEO, filius productus non posset dici integrè effectus producentis patris, & tum non amplius dicendum foret, hominem generare integrum & totum hominem, quod contrâ vim benedictionis divinæ, contrâ scripturam, rationem & omnem sensum. Unde & ipse *Zeisoldus* acerrimus, aliàs creationis defensor, ultrò fatetur, vim argumenti hujus tantam esse, tamque validam, ut rationem, quâ ei obviam eatur, hætenus nondum invenerit. Habere quidem dicit se quatuor responsiones, sed nullam earum sibi satisfacere, neque satis solidam videri, ad dissolvendum illius nodum.

§. 4. Corroboratur hoc argumentum ex benedictione divina Gen. I. 28. *Crescite vel fructificate, & multiplicamini*, ubi not. 1. Multiplicationem intelligi secundùm speciem, quod non potest fieri solùm secundùm corpus, quod solùm minimè speciem constituit, sed simul quoad animam. 2. Dicit secundùm Hebr. *fructificate*, fructus autem tales in omni vivente sunt effectus corporis & animæ. 3. Fieri *jussionem divinam in operatione naturali*, in qua semper supponitur virtus activa rei jussæ ad impetrandum finem naturalem. 4. Requiritur ut in viventium multiplicatione, ex parte DEI *concursum generalem, non specialem*, tanquam causæ particularis & immediatè agentis. 5. Non minus tali benedictione conferri rei nobilissimæ, quam cæteris animantibus, vid. *Joh. Ad. Osiand. in Genes. c. I. p. 58. q. 2. ex Dorschæo.*

§. 5. Excipitur, hominem verum & perfectum generare hominem, non obstante hoc, quod Deus animam creet, et eamque corpori infundat: Sicut Maria totum genuisse dicatur Christum, etsi non genuerit Deitatem. Veræ enim & univocæ generationis forma nō consistat in productione unius vel alterius partis, sed totius. Homo n. tum generari, quādo beneficio virtutis seminalis anima uniatur corpori: & 1. Exemplum Christi, ut supra dictum, est alienissimum, quod formationem prorsus mysticam & singularem exhibet, à qua ad naturalem minimè procedendum vel concludendum est. Præsens materia loquitur de cohabitatione naturali, quod per eam virtute benedictionis divinæ perfectum animal aliud ejusdem essentiaë producere possit & debeat secundum omnes essentiaë partes. Quid ad hoc exemplum singularissimum & divinissimum unionis hypostaticæ? & 2. Putidum supponi figmentum, quid enim ineptius, quid vè à veritate alienius dici vel excogitari potest? quàm generationis univocæ formam præcisè ponere in unione partium essentialium, exclusâ excellentioris partis animaë sc. productione. Etenim hæc ratione architectus extruendo ædificium, istud generare diceretur, utpote qui lapides, trabes, lateres, aliaque materialia, ex quorum artificiosa combinatione compages ædificii exsurgit, inter se committit; Figulus etiam ollam, faber securim, Carpentarius rhedam; quilibet enim horum secundum artem suam operando operi inducit formam suam eamque materiaë unit. 2. Falsum quoque, Parentes hominem generare non communicatâ soboli per generationem animâ, tanquam nobiliore parte, utpote per quam homo est homo accipitq; essentiam ab aliis diversam. Non minus itaque insulse agunt, & pro deridiculo habendi, qui hominem absque transplantatione animaë in sobolem, verum hominem generare dicunt, quam qui cadaver sublatâ per mortem animâ verum hominem esse volunt. Neque 3. doceri potest, quâ viâ aut modo Parentes animam corpori uniant. Hoc enim faciunt vel mediatè, adjuvamento sc. virtutis seminalis, vel immediatè & per essentiam. Non illo modo: esset enim virtus illa vel materialis, vel immaterialis; si materialis, tum nihil juris aut actionis positivæ sibi vindicare potest, in Spiritum à substantia corporea immediatè tangi & mu-
tari

tari nescium, adeoque nec eum corpori unire: Sin immaterialis, tum animam ipsam semini inesse necesse est; nunquam enim accidens extra proprium & immediatum subiectum existit vel existere potest, & sicuti veritati incongruum est, dicere spiritum qualitatibus materialibus esse imbutum. Sic æquè absurdum est, asserere substantiam materialem immediatum receptaculum esse qualitatum immaterialium: neque hoc, aliàs sola mater causa sobolis dicenda foret non pater, etenim is post concubitum longè abest, imò mortuus esse potest, adeoque nec animam corpori unire.

4. Manifestum etiam falsæ hujus opinionis petitur indicium ex diversitate opinionum, quibus circa hoc momentum adversa pars distrahitur, inque diversa divortia abit. Alii enim docent, Deum ipsum unire animam corpori, ut *Pontz. Curs. Phil.* Alii munus hoc virtuti seminali attribuunt, ut *Baron. Phil. ancill. Zeisoldus Heerb.* Alii soli matri concedunt, vid. *Celeb. Pres. Phil. Theol. diss. 12. p. 90.* Sic Nugatores illos sibi non satis constare, & verum in falso lucem in tenebris quærentes veritatem planè amittere videmus.

§. 6. Secundum argumentum petitur à propagatione labis originalis, quæ absque dubio ab Adamo per intervenientes generationes, omnes illius posteros naturaliter ab eo descendentes, non derivaretur, nisi ab eo ipsam subiectum, anima sc. descenderet. Sic enim argumentor: Quicumque indivulso & inseparabili nexu cohærent, tanquam subiectum & adjunctum, substantia & accidens, eorum uno generationis naturalis viâ propagato, alterum etiam hâc viâ propagari necesse est. Atqui anima & peccatum originale indivulso nexu tanquam subiectum & adjunctum, substantia & accidens cohærent, E Maj. suâ radiat luce, quandoquidem adjunctum nunquam est extra nativum & proximum subiectum neque accidens extra substantiam. Adeoque parentes per generationem inquinantes liberos peccato originali, etiam animam tanquàm immediatum ejus receptaculam, in eos per carnalem generationem derivabunt.

§. 7. Excipiunt communiter ad Min. Negando peccatum originale esse accidens s. positivam qualitatem, cum sit *mera privatio* s. carentia justitiæ concreatæ: Hinc parentes peccatum transplantare in sobolem non positivè, sed negativè, non com-

municando ei sc. concreatam justitiam, quâ seipsa indignam fecerit: Deum etiam absque læsione suæ sanctitatis & justitiæ, animam de novo creare, justitiæ veste exutam, ob delictum, quod in Adamo communi omnium parente & stirpe commiserit. Verùm &c. qui sui cordis figmentis veritatem postponunt, atque nyctioracum instar tenebras magis quam lucem sequuntur, illi errorum nexibus magis magisque impliciti, nunquam ex iis extricantur, sed ex uno in alium devolvuntur: Ut viam quandam monstrant, quâ peccatum originale stante suâ sententiâ de Creatione animæ immediatâ à parentibus in liberos propagari queat, nimis illud extenuatum referunt in numerum privationum: ita ne planè obmutescant, atque omninò nihil dixisse videantur, malunt turpiter contra Scripturæ veritatem, & quidam contra eorum propriam confessionem loqui, quàm victas dare manus. Quæstio est & manet, quomodo, stante hypothese, quod anima non sit à parentibus, sed à DEO immediatè, adhuc à parentibus peccatum, ut animæ accidens nunc naturale & intimè infixum, ad filios naturali propagatione transmitti possit? An accidens naturale sine subjecto proprio naturaliter & regulariter possit propagari? Hoc quæsit *Augustinus*, æstuans, nec Magistrum invenire potuit, qui hæc conciliaverit, animam esse à DEO, sed animæ proprium & naturale accidens, naturali propagatione à parentibus. *conf. c. 11. hyp. 1. Quærebam æstuas, dicit, unde sit malum? quæ illa tormenta parturientis cordis mei, qui gemitus DEUS meus. l. 7. Confess. c. 7.* Et dum ab eo tempore in hodiernum usque diem Creatiani ostendere nequiverunt, ad alterum extremum sese recipiunt, dicendo, malum illud nihil esse, privatio n. nihil est.

§. 8. Aliter *Maresius*, scriptor inter suos magni nominis, inquit: Non consistit in sola justitiæ originalis negatione & carentia, sed etiam in morbida quadam & habituali animæ qualitate, prava desideria perpetuè excitante, ac illam instar superadditi ponderis ad terrena jugiter inclinantis, *System. Theol. p. 280.* Aliter *Petrus Molinaus in Thesouro Sedan. T. 1. p. 179.* Quemadmodum inquit, in naturalibus id quod malum dicitur, ut dolor & morbus, non sunt meræ privationes, sed qualitates & passionis inhxrentes subjecto, ita in moralibus & in tabe spiritali animæ
malum

malum & peccatum est aliquid reale &c, eaque propter *Baron. Phil. ancill.* maximè sollicitus circa propagationem pravæ inclinationis. E Pontificiis *Thomas, Bonaventura, Greg. Armin.* quos citatos vid. *disp. supra cit. de Phil. constricta*, ab Excell. Dno. Præf. in hoc momento orthodoxæ subscribunt sententiæ.

§. 9. Falsum itaque est, peccatum originale quoad formale suum adæquatum & totale, sufficienter describi, per nudam concreatæ justitiæ ablationem s. carentiam, cum docente Scriptura, præter dictam carentiam includat concupiscentiam habitua- lem, pronitatem ad cujusque generis peccata, qualitatem, homi- nem non modo omnibus viribus spiritualibus exhaurientem, sed ad quævis mala proclivem facientem; propterea illuminatissimus gentium Doctor S. Paulus, describit malum hoc hæreditarium verbis positivis, quæ illud positivi quid esse clarè indicant, cum ap- pellat concupiscentiam, malum adjacens, malum inhærens, *Rom. 7. v. 17. 20. 21. Hebr. 12. v. 1. Gal. 5. vid. Meisn. Anthropol. p. m. 220. König, Theol. posit. p. 82. D. Wölffling Tract. qui inscri- bitur lapsus Adami p. 156. seqq.* Equidem non negatur peccatum originale, quoad formale inadæquatum parziale & generale con- sistere in privatione totali concreatæ justitiæ: Verum adæqua- tum illius formale per dictam carentiam sufficienter exprimi ne- gatur: Primus homo suâ inobedientiâ se totamque posteritatem non solum destituit integritate in animo illius exsplendescente, Sed insuper vitiosam qualitatem sibi omnibusque suis posteris contraxit, consistit itaque peccatum orig. quoad formale adæqua- tum & specificum (1) in carentia rectitudinis concreatæ. (2) in corruptione habituali vitiosa qualitate, vid. *Celeb. Præf. Phil. Theol. diss. V. p. 91. seqq. diss. XIX. p. 287. seqq. Musæus Inst. Metaph. p. 122,* addunt Theologi tertiam partem, reatum s. seu obligationem ad pœnam, quam formale relativum appellant, idq; per baptismum tolli volunt formali absoluto vitiosâ s. qualitate superstite manen- te, vid. *König Theol. posit. p. 77. Hülfem. Extens. brev. p. 91. Jacob. Mart. Part. Theol. disp. IX. §. 23.* Graviter itaque hallucinantur, dum pecc. orig. pro nuda concreatæ imaginis privatione habent, quâ privetur anima de novo producta ob inobedientiam in homi- ne omnium primo admissam, quando quidem quæritur hæc prin- cipali-

minis

cipali-

cipaliter de impuritate non negativâ, sed positivâ, vitiosâ sc. qualitate, unde illam anima, si à Deo creari dicatur, contrahat, hic Rhodus, hic Salta.

§. 10. Distinguimus nos 1. inter privationem puram & nudam solitariè & simpliciter conceptam, & inter privationem complexam cum positiva qualitate conjunctam, vel inter privationem simplicem & conjunctam cum habitu contrario; Inter privationem sine appposito, & inter privationem cum appposito, sc. habitualem vel habitum privativum aut corruptum. Pecc. orig. est privatio, sed non simplex, non mera & nuda, verùm privatio justitiæ originalis habitualis, i. habitus corruptus, utpote in intellectu non nuda scientiæ negatio, sed *φρόνημα* verbo & Spiritui repugnans: In voluntate non solum imbecillitas, sed concupiscentia, pugna & inimicitia adversus Deum, proclivitas, pronitas & tendentia ad malum, &c. De quo Theologi, quibus P. O. ad corruptionem illam, conturbationem, perversitatem & confusionem ordinis divini indicandam, dicitur habitualis privatio vel habitus privativus & corruptus, vid. *Disp. Rappolti 1673, hab. Lipsia §. 16. Calov. Harmon. p. 372. 373. Meisn. qq. Vex. 4. §. 31.*

§. 11. Disting. 2. inter habitum *univocum* & *analogum*: Ille est perfecta qualitas in genere rerum potentia superaditus ad rectè agendum, sicut sunt *scientia* & *virtutes*. Hic est dispositio alicujus naturæ ex multis composita, secundum quam subjectum ad benè vel malè agendum inclinatur, sicut sunt *morbis* vel *egritudo* & *sanitas*. Priori modo pecc. orig. non esse habitum, cum non sit simplex, permittimus: Ast nec posteriori modo ita dici posse, negamus constanter. Eoque referimus, quod Lutherus dixerit, esse instar lepræ aut luis pestiferæ: & *Thomas*, quod pecc. orig. non sit habitus sicut scientia, sed sicut quædam inordinata naturæ dispositio & languor consequens orig. just. privationem. Hinc pecc. orig. vocatur languor naturæ, morbus spiritualis, tabes animæ hæreditaria, &c.

§. 12. Disting. 3. inter positivum naturale strictè dictum ex divina ordinatione obortum: Et inter positivum latius acceptum in sensu Ethico vel morale, quod sicut morbus præter voluntatem & ordinationem Dei ex hominis culpa est illapsum, peccatum

catum

catum orig. non dicitur positivum, strictè & exquisitè naturale, sed latè & populariter, morale. De illo loquuntur receptæ regulæ: O. positivum est bonum, est à Deo volente & creante, &c. Hoc non statim est bonum, & à Deo volente & creante, verùm quandoque malum, & à Deo saltem permittente & disponente.

CAP. V.

Contrariorum Argumentorum rejeçtio.

§. 1. **A**rgumenta, quæ pro creatione ducuntur, sunt vel ex Scriptura, vel ex ratione depromta. Ex Scriptura nihil potest adduci, quod hodiernam extraordinariam & immediatam creationem doceat, sed quicquid ex ea haberi potest, vel de primæva hominis loquitur formatione, vel de mediata in concessis posita operatione, & sic ut alienum ubique frustra advocatur, prout ipsemet *Bellarminus*, etsi creationi immediatæ patrocinetur, ultrò fatetur, in sacris nihil inveniri, quo evidenter & perspicuè doceri possit immediata & propriè dicta creatio, hincque *Dresenrus* admittit, eum, qui creationem inficiatur, non posse magni erroris argui, p. 313. **Erörterung.** Potissimùm præsidii collocant in Patrum autoritate & rationum virtute. Ast Patrum autoritati præterquam quod fallax sit, Patres alii opponuntur. Et quæ moventur ratiunculæ, facilè confutantur, unde pro creatione nihil relinquitur roboris.

§. 2. *Gen. 2. 7. Flavit &c.* omnium confessione agit de primæva immediata creatione, cujus Deus causa est unica & particularis, ab ea ad hodiernam argumentari insulsum est, *Job. 33. 4. Spiritus Dei fecit me.* Loquitur de toto subjecto, neque magis animam spectat, quàm corpus, *Eccles. XII. 7. Revertetur, &c.* Respicit primam Adami formationem, fatente *Bellarmino*, & pluribus aliis. Aut si hodiernam describeret dationem, nondum esset immediata. Sic & reliqua sese habent loca. Vid. *Rever. Dn. Pres. Phil. Theol. Exhibit. XVI. §. 31. & seqq.*

§. 3. Ex ratione objiciunt 1. Quicquid est spirituale & immateriale, illud non potest generari vel propagari per traducem, sed necessariò creatur & producitur ex nihilo, at anima hu-

D

mana

manæ est spiritualis & immortalis, E. Maj. probant, quia cum generatione non potest conciliari aut componi rei immaterialitas & incorruptibilitas, aut anima est per creationem, aut non potest defendi ejus immortalitas. Porro argumentantur, quod generatur, est corruptibile, anima non est corruptibilis, E. non generatur. 2. Quicquid fit ex nihilo illud creatur, anima rationalis fit ex nihilo, E. creatur. Min. probatur, quia quicquid non fit ex aliquo, id fit ex nihilo, non a anima nostra fit ex aliquo, aliàs materialis esset, E. fit ex nihilo. 3. Quia sententia de generatione insuperabiles implicat difficultates locutionesque ingemit duras & absurdas, ut inquit *Baronius* (1) quod non possit ostendi, quæ indivisibilis anima fit, ab utroque parente separatim existente & seorsim operante, nisi per partes sc. per partitionem aut decessionem. (2) Quod non possit ostendi, quomodo anima filii sit ab anima patris, mediante semine, quia si adest semini anima, ut semen illud possit dici animatum, vel a actu vel potentia, non potentiâ, quia aliàs ortum ex semine haberet materialem, non actu, quia aliàs intolerabilia inde fluere incommoda, sc. toties animam perire, quoties semen in terram vel uterum sterilem effunderetur, vel etiam in corpore permaneret non emissum, & sic in uno homine essent plures animæ, &c. Duras conclusiones præterit *Baronius*, tales, p. 63. quod cogamur admittere, animam non esse spiritualem, item animam posse actione physica destrui, & non manere immortalem, &c. aut sicut *Dreierus*, si natura habet potentiam, animam generandi, etiam habebit eandem destruendi, *Erörter.* pag. 292.

§. 4. R. ad argumenta contraria. Ad (1) Lim. Maj. quicquid est spiritus completus sc. & nullo modo ad corpus informandum ordinatus, illud est creabile, sic lim. maj. negatur min. quam *Corn. Martini* simpliciter neget majorem, quasi omnis spiritus necessariò sit creabilis, cum non repugnet, si Deus vellet, etiam ex substantia Angeli emanare alium angelum ejusdem naturæ. Si repugnaret, spiritum generari ex spiritu, non posset dici in divinis, Filium esse ex Patre, Spiritus infinitus ex infinito, aut si hoc fieri potest, cur non dicemus, posse etiam spiritum finitum sese in sui similem propagare? Quod probationem attinet, quasi cum

cum generatione vel propagatione animæ non possit conservari aut componi ejusdem spiritualitas, immortalitas aut incorruptibilitas, sicut omnes ferè clamant, præprimis *Dreierus* audacissimè definit pag. 294. & passim in *Der Erörterung* super hanc quæst. illud falsum esse, vel exinde intelligimus, quod *Tertullianus* & maxima pars Occidentalium, & cum illis plurimi alii crediderunt animæ & traducem & immortalitatem, etiam ipso *Dreijero* concedente, vid. *Calov. Harmon. p. 468.* Non enim nisi limitatè respicienda sunt Philosophorum axiomata: *Omne generabile est corruptibile. Quod non corrumpitur, non generatur, &c.* Quæ loquuntur de corporibus, à quorum conditione ad conditionem animæ humanæ nulla est consequentia. Absolutè autem accepta, negatur. Pariter, sicut ex opposito dici non potest: *Quicquid creatur, est spiritus, vel O. creabile est incorruptibile, &c.* R. ad (2) Anima filii non fit ex nihilo, sed fit ex anima, licet non ut ex materia, propriè dicta, sed ut ex principio vel termino à quo & ex quo qd. materia, si quidem τὸ ex non semper in genere materiam propriè dictam, notare suprà indicavimus, aliàs Deus creans angelos ex nihilo, crearet ex materia, si τὸ ex ubique materiam propriè dictam importaret. R. ad (3) Difficultates fatemur, insuperabiles negamus: *Indivisibilitas* salvatur, quod anima non immediatè procedat à parente, sed mediatè, mediante semine. Sicut enim Deo non repugnat, ex diversis & conjunctis rebus facere aliquem unum indivisibilem spiritum, sicut non repugnat, ex objectis diversis sensibilibus fieri unam speciem universalem intelligibilem, & ut vicissim non repugnat, animam indivisibilem totam & indivisam esse in toto & totam in qualibet parte, sic etiam non repugnat indivisibiliter ex tota anima Patris, esse totam filii, mediatè tamen. Imò, sicut non repugnat Spiritui Sancto maximè indivisibili procedere è duabus divinis personis, ita nec repugnat uni animæ indivisibili esse & fieri ab utroque parente. Quemadmodum in rebus divisibilibus & materialibus videmus, ex duabus facibus unam accendi tertiam, nec flammæ unam saltem scintillam amittunt, sic ex duabus animabus parentum profilit & accenditur tertia filii, sicut ergò hoc natura facit in corpore divisibili, cur non possit in spiritu indivisibili.

CAP. VI.

Continens Epilogum.

§. 1. **C**ùm itaque creatio animæ immediata repugnet S. Scri-
pturæ & evidenti rationi; Neque etiam propagationis
ille communis modus, quo dicitur, semini statim adesse animam,
eamque cum semine, quod aëu animatum sit, à parentibus ad fi-
lios transmitti, ab omnibus hæten. propositis difficultatibus non
omninò tutus & liber deprehendatur, prout facilè vel ex eo solo
elucescit, quòd nemo verè dicere possit, tot & toties perire ani-
mas, quot & quoties infœcundè emissa pereant semina, quod ta-
men, si ubique anima cum semine vel unius vel utriusque sexus,
tum intra tum extra conjunctionem, transmittitur, cum Augusti-
no dici necesse erit, ut alias taceamus impactiones vel pericula
Theologicæ & Philosophicæ. Nescio, an non Tertulliani senten-
tia in majori habenda sit veneratione, quàm ut laxiori fide tradu-
catur, & tam immodestæ ac ignominiosæ subjiciatur reprehen-
sioni? præsertim cùm non discordet, sed consonet stylo scriptu-
ræ, analogiæ fidei & hypotyposi sanorum verborum; Nec etiam
aliis destituatur autoritatibus, cùm Theologicis tum Philosophi-
cis. Et tandem describat modum fiendi à dignitate humana & il-
luminata ratione non alienum.

§. 2. Alterutrum, ut nunc pro coronide aliquid addam
ex Lect. Publ. Rev. Dn. Præf. quantum adhuc recordari possum,
alterutrum, inquam, mihi relinquitur eligendum: Aut modus pro-
pagandi, dum ipsa propagatio per traducem salva & creditu scitu-
que necessaria est, omninò est tacendus, atque illud pium & do-
ctum ἀπίχεν amplectendum, cùm post omnem exquisitissimam
adhibitam curam adhuc cum Justin. Martyre opus dicendum,
non hominis, sed DEI revelantis, noscere animæ originem: Aut
Tertulliani sententia, de semine *spirituali* solidiùs & feliciùs de-
fendenda. De semine dico *spirituali*, cùm nec corporale sit ad-
mittendum, nec Tertulliano, ut eruditiss. Doctori, nisi turpiter, at-
tribuendum, prout hoc agnoscitur à Dn. Calovio T. III. p 1085, &
aliis

aliis viris gravissimis, explicatione facta secundum analogiam fidei.

§. 3. Innuit tale semen, innuit & docet in formatione primi hominis, tum Adæ, tum Evæ. Adæ, quando illius corpus primum eductum fuerit ex limo, sed anima ex adflatu DEI, ut ex duobus illis unus coactus fuerit homo: Sic illæ duæ substantiæ in uno sua miscuerint semina, atque exinde generi propagando formam tradiderint, ut & nunc duo licet diversa, etiam unita, pariter effluant, pariterque insinuata sulco & arvo suo pariter hominem ex utraq; substantia effruticent, in quo rursus genus suum insit secundum genus, &c. secundum illud crescite, & in multitudinem proficite. v.l. de anim p. 547. l. E. Ubi antiquissimus Pater unum hominem ex duplici derivat semine, corporis & animæ, illud corporale, hoc animale vocat, i.e. spirituale, illud fit ex carnis defæcatione, hoc ex animæ destillatione, illud humorem, hoc calorem conferat, totum illud totius hominis unico impetu, toto concusso homine, despumetur. *ibid.* Etiam in Evæ formatione, cum sicut ex costa animata Adami tota Eva facta fuerit, quoad animam & corpus, sic ex eo semine, quod esset corporis & animæ, totus hodiè progrediatur filius. Nec concedit, Evæ animam à Deo immediatè creatam, cum non legatur inspirata huic, sicut Adæ; ut ait c. l. c. 18. *Ceterum & ipsam DEI adflatu animasset, si non ut carnis, ita & anima ex Adam tradux fuisset in foemina.*

§. 4. Gen. XLVI. v. 26. dicuntur è femore Jacobi egres-
sæ 66. animæ. Ubi Gesnerus Theologus celebratissimus disp. 2.
q. 9. in Genes. docet, non sola corpora, sed & animarum semina in
femore Jacobi extitisse. Quam explicationem approbat Jacobus
Martini in Bec. p. 500. & p. 516. statuens & animam & corpus se-
mini potentiâ inesse. p. 515. §. 15. suam sententiam ita explicat:
Totum sperma est potentiâ totus homo, ita, ut quemadmodum
semen corporis in spermate est humano, sic quoque semen animæ
in eodem continetur. Eò referimus eos, qui animam filii statu-
unt à parentibus & initiò præsentem esse, verum non formaliter,
sed virtualiter, potentialiter & radicaliter, prout Gregorius Nyssen-
sus, Pater Gr. Clariss. Concilii I. Constantinopol. illiusq; Symb o-
li in eo edicti, secundum Niceph. l. 12. c. 13. autor, florens C. A. 380.

unum dixit utriusque, corporis & animi, principium, utrumque simul adesse, nec animum sine corpore, nec corpus sine anima, aut latenter & secundum virtutem insitum externè non apparentem, *Nam & futuri hominis formam potestate existere in semine*, sicut in tritici grano, vel quovis alio semine, totam spicæ & frugum maturarum speciem potestate comprehensam dicimus, & herbam, & culmum, & internodia, & fructum, & aristas, &c. *vid. lib. de hominis opificio c. 28. 29.* In idem n. recidere arbitramur secundum rem, sive dicatur forma vel anima hominis in semine esse virtualiter, potentialiter & radicaliter, sive adesse seminaliter, ut semen. Ubi enim adest solum virtualiter, nondum adest formaliter, ubi non adest formaliter, non adest actu, adeoque non ipsa anima verè & propriè, sed id unde profilit & exurgit anima. Sic etiam potestas vel potentia negat actum, & quod potestate adest, non adest actu secundum entitatem, sed secundum radicem, aut in hac materia, secundum semen. Ast cave, ne concipias vel semen corporeum, vel potentiam materiale cum *Educianis*, spirituale enim non potest naturaliter oriri è corporali vel materiali. E. id, unde anima exit & profilit, erit spirituale & immateriale quid, propriè loquendo. Atqui sic omnes eos intellectos volumus, qui dicunt, animam vel animum initiò potestate inesse semini & in semine, postea verò in actum deduci, in vel ex semine animam excitari, ut tradit *Jacob. Martin. Centur. 1. Q. Q. Ill. d. V. q. 6.* & quidem nulla accedente externa facultate, secundum *Gregor. Nyssen.*

S. 5. Quapropter *Thimotheus Brighus* Cantabrigiensis Medicus, non potuit non approbare hanc *Tertulliani* doctrinam, quando doctissimis suis animadvers. in *Scribonii* Physicam ita loquitur: *Respondemus, nec totum, nec partem animi parentum traduci: Neque accidens, aliquod animi rudimentum esse. Quid ergò? Sanè substantiam quandam ab anima natam, nec totam ipsam, nec partem, tanquam animæ immortale semen, prolis animæ futuræ principium, & ut semen corporeum de parentum corporibus decisum, nec corpus ipsum, nec corporis aliquod membrum existit; ita anima per semen animæ fecundum, non per animam aut animæ partem aliquam traducitur in prolem.* Ita paulò post addit: *Ergò tenemus*
ANI.

animam non integram & absolutam, parentibus referendam accipiam, sed sensinale quid, ab anima, a quæ atque à corpore exclusum, & tandem verbi illius virtute (crescite & multiplicamini in fecunditatis benedictione) in animam rationalem & immortalam, proditurum.

§. 6. Equidem Rob. Baronius Philos. Theol. Ancill. p. 99. art. XIV. exerc. 2. Hanc rejectam iuit sententiam ex seqq. quia si spirituale daretur semen, adeoque spiritus l. spiritualis substantia, tum 1. daretur spiritus creatus, qui neque angelus esset, neque anima, quod toti Philosophiæ repugnaret. 2. præexisteret anima filii in anima Patris, quod enim emitti dicatur, præsupponatur existere, sed non præexisteret, E. 3. Fieret illud semen vel ex tota anima patris, vel ex parte, vel ex nihilo, non istud, quia aliàs anima patris evanesceret, & in spirituale semen converteretur: Non illud, quia aliàs anima esset divisibilis. Non hoc, quia aliàs crearetur, & sic creatura posset creare. 4. Quia illud spirituale vel maneret, & sic duo essent spiritus in homine, quod falsum: Vel periret, & sic spiritus posset corrumpi, quod rursus falsum. 5. Non posset dici, qualis illa esset conversio seminis in animam, accidentalis an substantialis? Cùm in nullam conversionis speciem conveniret,

§. 7. Ast fallax hæc est & inaniter conquæsitæ Philosophia. R. enim ad I. Sicut semen corporis non dicitur in composito vel materia, vel forma, vel ipsum compositum propriè & formaliter, sed horum omnium principium. Ita & semen animæ nec tota anima est, nec pars, nec angelus, nec alius spiritus, sc. in debito suo esse perfectè constitutus & creatus. Ad II. Si præextiterunt omnes animæ filiorum Jacobi in ejus femore, etiam adhuc hodiè omnium filiorum animæ præexistunt in anima parentis, sc. sicut effectus dicitur esse in virtute causæ, potentialiter & virtualiter. Imò ita ipsum hoc semen, unde prodit anima filii, cum in modum existit in anima patris. R. ad III. Eligitur primum, ex tota sc. anima patris, sed negatur tum in operatione & emissione talis seminis evanescere. R. ad IV. Quid fiat in illo semine, non potest sciri, sed opus solius Dei tale quid nosse, ut rursus cum Justin. Martyre dicamus, interea tamen, sive maneat & in ipsam animam divina
fœcun-

fœcunditate transeat, sive pereat ex ordinatione divina, non contingente tali in spiritu perfecto, cogites, hoc totum prima DEI voluntate niti, tanquam fundamento, prout *Greg. Nyss. c. l.* loquitur, & nihil utrinque haberi vel impii vel absurdi. & ad V. Esse conversionem substantialem singulariter formationi hominis ex divina dispositione assignatam.

§. 8. Dicis porro, VI. ex *Zeisoldo*, multiplicari entia sine manifesta necessitate. VII. Esse illud semen merè fictitium. VIII. Plura occurrere vel pericula vel absurda in hac sententia, quam in ulla alia. Utpote quod semen illud vel diversum à mente, vel idem cum ea? Vel à solo patre, vel ab utroque? Vel esse ex aliquo, vel ex nihilo? Quicquid dixeris, in absurda incideris.

§. 9. & ad VI. Negari, sine prægnanti ratione tale quid asseri, ut partim ex præced. constat, & ulterius è dicendis constabit. Et sic pariter ad VI. Negando commentum, quod sine temeritate *Tertulliano* non impingitur, sed hoc ipsum insubidè, inspidè & insipienter, re non satis dignè expensâ, assertum credimus. Rustica verba, rustici sibi servant Philosophi, ut detonare dediscant in doctissimos Patres, tanta sanctitatis lumina. & ad VIII. Esse semen, ut principium à suo principio diversum, quò in quæstionem detru-di potest? Aut quò dubitari, semen totius hominis esse ab utroque parente? Dum verò omne, quod generatur vel congeneratur, ex aliquo in sententia *Tertulliani* dicitur, non peculiare aut alienum fingitur principium, sed communissimum & ubique in Philosophia receptissimum accommodatur. Non ergò sequitur, si omne, quod generatur, est ex aliquo, indeque & anima nostra, E. & semen est ex aliquo. Quia 1. axioma loquitur de termino productionis, non de medio & via ad terminum, quæ distincta esse solida novit Philosophia. Deinde 2. sicut anima filii potest dici ex anima patris, prout dicitur ap. plures etiam *Tertulliano* non faventes, sic & semen poterit dici esse ex parentibus, particula EX convenienter sumpta. Vid. *Clariss. & Excell. Dn. Thomas. disp. sapiùs hætenus cit.*

§. 10. Concludimus; Semen totius hominis est à parentibus. Semen totius hominis potentiâ comprehendit animam & corpus, E. id, quod animam & corpus hominis comprehendit, est à pa-

à pa-

à parentibus. Id autem, quod has partes essentielles potentialiter
 continet, vocamus semen, dum aliud commodius non datur no-
 men. Et quia desiderabatur ulterior ratio, argumentamur. O-
 mne id, quod ex divinitus concessâ fecunditate fructificandi &
 sese multiplicandi, generatione univoca generatur, vel congene-
 ratur aut producitur, illud est ex semine, vel aliquo seminali semi-
 ni analogo, sicut *Augustinus* dicit, quis Christianus ignorat, quod
 ille, qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex
 semine. *l. 3. c. 17. contra Julian. l. 12. c. 15. de Civ. D.* Anima nostra
 ita generatur, E. Major est ex Scriptura & ratione hætenus addu-
 cta evidens. Nec minorem imbecillum relinquunt tot firmissima
 roborata, quibus projecimus creationem animæ, si enim anima
 nostra non ex nihilo adeoque creabilis, erit ex aliquo, adeoque
 generabilis vel generando multiplicativa sui. Stat ergò Conclu-
 sio, atque id, quod pro Tertulliano intendimus. Accedit, quod
 homo partim corporeus, partim incorporeus, secundum partes
 essentielles, etiam poscat talem materiam, latissimè loquendo, ut
 talis sit materia, quale materiatum, materia illa latè & secundum
 primam radicem si vocemus semen vel seminale quid, hominis
 semen erit partim corporeum, partim incorporeum. Quod enim
 homo dicatur generari ex homine, nunquam exhauiit difficul-
 tatem, quæstio est, non de homine ut toto indistinctè, sed distin-
 ctè de anima, de parte hominis nobiliori, nec quæritur à quo illa,
 sed ex quo sit, non de effc. sed materia vel quasi, quæ necessariò
 exigitur, quia non est ex nihilo; & urgentissimum est illud. Ani-
 ma a. est ex nihilo, aut ex aliquo. Si illud creatur, quia productio
 ex nihilo est verissima creatio. Si hoc, *instat*, an illud aliquid sit
 corporale, an spirituale? Non illud, ergò hoc. Dicere a. animam
 generari vel congenerari, & tamen esse ex nihilo, contradictio est
 implicita & tacita in adjecto. Nihil n. sive totum, sive partem di-
 xeris, generabile est, & tamen ex nihilo, ex nihilo nihil fit. Si
excipias, esse peculiare in anima, ut sit sui multiplicativa, recurrit
 idem, aut anima illa in patre est multiplicativa sui sine omni in-
 tercedente quacunque dicta materia, ut producat aliam animam
 ex nihilo, & tum creat, quod evidenter falsum est: Aut producit
 eam ex aliquo, & habetur generatio ex præexistente convenienti

E

sub.

subjecto, ut supra, quod intenditur. Neque tandem dici a-
 mus, animam hominis rationalem sc. statim initio esse cum semi-
 ne corporali, ut semen actu animatum anima rationali dicatur
 emissum, cum ita sequantur omnes istæ impactiones & offensio-
 nes, quæ hætenus fuere descriptæ. Sc. aut eam esse ab uno vel
 utroque parente, si illud, injustè excluderetur alteruter: Si hoc,
 nullo modo ostendi potest, quomodo indivisibilis & simplex ani-
 ma sit à duobus divisis principiis immediatè idem producentibus?
 Item, quid fiet cum istis tot animarum millibus, quæ semine de-
 perdito & in sterile corpus projecto, necessariò restarent immor-
 tales aut incorruptibiles? Expiraretque distinctio inter partem
 animatum & inanimatum, communi virorum mulierumq; con-
 sensu, & verè, recepta. Plura, præsertim ea, quæ ex concessa hypo-
 thosi ecclesiastica & principiis Theologicis adduci possent,
 nunc tacemus, quia hæc, & cæteroquin ut in absconditissima
 & abstrusissima materia plurima tacenda
 sunt.

COROLLARIA.

- I. **E**Ns in potentia est verum & reale ens.
- II. **E** Deus cum omnibus causis secundis in omnibus actionibus
 cooperatur.
- III. **C**ausa & principium non reciprocantur.
- IV. **P**arentes in liberos non habent potestatem vitæ & mortis.
- V. **A**mor non est culpabilis.
- VI. **G**enus neutrum apud Latinos non datur, salvâ tamen auctori-
 tate aliorum.

F I N I S.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

28		

SLUB DRESDEN



3 0644360

7-A-2190

